DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

ISCHURIA.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. LUCÆ SCHACHT,

Philoſ. & Medic. Doct. hujuſque in Academia Lugd. Batavâ Profeſſoris celeberrimi.

NECNON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

DANIEL LEFER, AMSTELO-BAT.

Ad diem 14. Martii loco horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typograph. MDCLXXXIV.

30

1185. g. 16

30

K.

Doctiſſimo, Conſultiſſimoque Viro

D. JOANNI LEFER, J. U. D.

Cauſarum apud Medioburgenſes patrono vigilantiſſimo, acutiſſimo, & facundiſſimo, fratri meo plurimum honorando, ac diligendo.

UTI ET

Doctiſſimo, expertiſſimo, meritoque ſuo Celeberrimo Viro

D. LUCÆ SCHACHT,

S. S. M. C. L. A. M. Philoſoph. ac Medicinæ Doctori hujuſque in Illuſtri Lugdunenſium Academia Profeſſori digniſſimo, Rectori Magnifico, Collegii Chirurgico præſidi, Practico Felici, & Sagaci, ſtudiorum meorum fundatori indefeſſo, ac Promotori honorando, ob innumera in me collata beneficia, fideliſſimaſque inſtitutiones, à me dum ſpiritus hos regit artus omni, amore, honore, ac reverentia, proſequendo, ſuſpiciendo.

In debitæ gratitudinis, atque honoris ſignum frater ac diſcipulus, me, meamque diſputatiunculam inauguralem, animitus offero

DANIEL LEFER,

Candidatus.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

ISCHURIA.

THESIS I.

Iſchuria definiri ſolet, omnimoda urinæ ſuppreſſio; diſtingui in veram ſeu propriè dictam, & in ſpuriam: hanc, cum nulla ſeri in renibus ſeparatio, illam ubi ſecreti quidem, ac in veſicam delati, nulla fit excretio. (Iſchuriæ Lunaticæ, quolibet plenilunio reverentis meminit Ampliſſimus *Tulpius*, hiſtoriam vide ſis *obſervat. ejus lib.* 2. *cap.* 43.) utriuſque genium, cauſas, ſigna, & curandi methodum, breviter, & perſpicue quantum potero, proponam.

II.

Iſchuriâ laborantes nihil quicquam per urinas excernunt, neque poſſunt. Hoc utrique commune eſt: ſi Verâ, ponderis, tenſionis, atque irritationis in hypogaſtrii ſupra pubem regione ſenſum percipiunt, perpetuus adeſt, ſed irritus, mingendi conatus, acreſcente ſenſim, dum retinetur, urinâ, dolores atrociſſimi, eorumque fidi comites in ſcenam prodeunt, febris, vigiliæ, ſimiliaque notæ pejoris ſymptomata: ſin ſpuriâ, horum quidem immunes ſunt ut plurimum, &, niſi renum Calculus in cauſa ſit, ſimilisve morbus, ſuis ſe prodens aſſeclis, ſæpe nihil pati videntur; poſtea tamen malo perdurante, dum ſeroſitas ſeparanda, ſanguini moleſta fit, graviora ſuperveniunt; ſomnolentia nimirum, reſpiratio difficilis, anxietas circa præcordia, ut nonnullis, urina ſuperato pectore, Jugulum petiiſſe viſa ſit, ac fœtore ejus per os & nares emiſſo, apoplexiâ aut convulſionibus, obortis, exitio fuerit Iſchuria: quibuſdam copioſi ſudores, aut ſanguis ubertim è naribus profluens, vel macularum frequens in habitu corporis eruptio, ſalutem prænunciarunt: alii, vero in habitum corporis regurgitante, ibique hærente, anaſarcam contraxere ut hoc tempore evadentes, poſtea tamen, lenta febri accedente, vivorum conſortio intereſſe deſierunt.

III.

Cauſarum, propter quas urina non ſeparatur, vel ſeparata, non eliminatur, explicationi, brevem ejus hiſtoriam prælibare eſt animus, cum eâdem perſpectâ, quæ de cauſis dienda ſunt, intelligantur facilius.

IV.

Conſtat utique ſanguinem, in thalamo cordis utroque rarefactum, & ab aëre per pulmones imprægnatum, vi contractionis cordis, in totum per arterias propelli microcoſmum, per venas denuo ad fontem ſuum reduci, jugemque abſolvere circulum,

quo

quo mediante latex ille, ceu promus condus, ſingulis, quas alluit pertranſitve, partibus, quicquid ad nutritionem & incrementum, aut peculiares humorum elaborationes deſiderant proſpicit uberrime, quos circa, eorumque ſeparandi modum pluribus hic morari non expedit. Satis eſt ad præſens inſtitutum, dixiſſe, illorum utiles eſſe alios, ut, quamvis à ſanguine ſeparentur, non tamen, (ſaltem in totum) ex corpore fugantur, multis œconomiæ functionibus, inſerviant; alios vero planè excrementitios, ut, vel ipſo nomine, quod ſecreti à ſanguine, foras amandantur, magno ſint uſui.

V.

Tales, ne de minoris momenti dicam, ſunt iſti, quorum ſeparandi locus, & organa ſunt bina illa corpora, phaſeoli figuram referentia, & in abdomine ſita, ubi coſtis tribus ultimis, juxta ψόας muſculos incumbunt: renes puto, quorum ſubſtantia pro parenchymate ſalutata quondam, nihil eſt, præter infinitorum ſui generis vaſculorum aggregatum; nempe emulgentes arteriæ, infinitas à ſe propagines ad renum peripheriam dimittunt, quarum oſcula excipiunt ejuſdem nominis venarum ramuli, utraſque extremitates connectente glandularum minimarum proventu, à quibus urinarii ductus centrum verſus dum tendunt; in faſciculos colligantur, & carunculas conſtituunt papillares dictas, ſerum ſecretum foraminulis ſuis in pelvis cavitatem tranſmittentes.

VI.

Neque his, ut modum ſeparationis attingamus, ullam attrahendi facultatem, nutritionis gratiâ, aut quod ſero, oblectarentur, multo minus ſanguinem in ſerum mutandi potentiam adſcribibimus: ſed cauſa plane eſt mechanica, fundamentum habens in integra renum diſpoſitione, & utroque motu ſanguinis, inteſtino ſc. & progreſſivo, qui tanti impetus eſt in univerſum corpus, ut ad minima tenuiſſimaque arteriolarum perveniat oſcula.

VII.

Etenim ſanguis vi fermentationis in corde rarefactus, atque ita pro nutritione partium, humorumque ſecretione præparatus nonnihil, è ſiniſtro cordis ventriculo pulſus in aortam deſcendentem, ſalutatis cœliacis, & meſenterico ſuperiore ramus, Mox per emulgentes renum ſubſtantiam ſubit, ubi dum bivium illud, (quod venulæ, ac ſiphunculi urinarii conſtituunt) allidit, particulæ ſiphunculorum poris figura ac magnitudine congruæ, quotquot tranſitu hoc momentaneo datur ingredi, eos intrant, cujuſmodi maximam partem ſunt aqueæ, flexibilitate ſua quibuſvis facile poris permeabiles, unaque ſalinæ, ſulphureæ, terreæ, ſimileſque aqueis miſceri non indignantes.

VIII.

An vero ad hanc ſeparationem vis fermenti alicujus concurrat, Valde dubito, ratio ſaltem ab odore renum rancido deſumta, meo quidem arbitratu, non ſufficit: nam, licet non negem, lotium peranguſtos renum tubulos permeans, multas ipſis affigere particulas, unde fœtor ille (ſimile quid in operibus mechanicis ac domeſticis, quin locis urinas excipere deſtinatis videre eſt) haſce tamen fermenti vices ſuſtinere, dictus jam fiendi modus, renumque conſtitutio requirere neceſſario non videntur: uti nec fermentum ſalſo lixivioſum, quod, ſi non ſero à ſanguine præcipitando, huic ſaltem fundendo, & à coagulatione præſervando, inſerviat, multo minus lympham à glandulis renalibus huc affluentem, quâ conſiſtens nimium diluatur ſanguis, & ſeroſitatis damnum quodammodo reſarciatur.

IX.

Secretus ille à ſanguine humor, per tubulos urinarios, & caruncularum foraminula in pelvim ſtillat, alio jugiter à tergo prementе: non enim putamus hoc reſpirationis molimine, motuque ac preſſione viſcerum abdominis fieri, juxta quorundam pla-

placitum dum in renum ſectione, ex laudatis tubulis, licet aqua plenis, nil niſi digito conſtrictis effluxiſſe, viderem: cum ejuſmodi renis alia plane ratio eſt, quam vivo corpore exiſtentis, ubi humorum circulantium, alioſque à tergo propellentium continua vis eſt, quam hic cauſam ſufficientem innuimus: præterquam quod renes, ſolidos, multoque adipe ſepultos, tantam in reſpiratione naturali compreſſionem à dictis viſceribus pati, non facile quis admiſerit; Quin poſito pati, noxiam æque ac proficuam fore, dixerit. Porro latex iſte ex pelvi per ureteres in veſicam urinariam delabitur, duplicatam ejus membranam obliquo tramite (ſimili ratione, qua bilis ex cholidocho in duodenum) penetrans, ibique moram nectit, donec copia vel acredine moleſtum veſica ſe contrahens ope fibrarum membranæ intermediæ, Spiritu influente diſtentarum, per urethram collo continuam foras pellit, qui urina vulgo dicitur: cujus, recrementum quamvis audiat viliſſimum, nequaquam ſpernendus eſt in medicina uſus, dum non ſolum laudatiſſima ſuggerit medicamenta, quæ magno numero collegit *Daniel Beckherus*, in microcoſmo medico: ſed ſui quoque inſpectione diligenter & cum ratione facta, pro ferendis circa ægros judiciis, aptiſſimiſque eligendis medendi temporibus, plurimum emolumenti fœnerat medico.

X.

Abſoluta hæc urinæ hiſtoria (ut in viam revertamur, cauſaſque antecedentes contemplemur) eaſdem in ſanguine, vaſis emulgentibus, renum corporibus, ureteribus, veſica ejuſque collo, urethra, viciniis eorum partibus, cerebri denique nervorum ac ſpirituum morbis, quærendas eſſe digito quaſi nobis oſtendit.

X I.

In ſanguine dixi, nam quamvis Iſchuriæ cauſa frequentior in viis urinariis lateat, cum tamen diſquiſitione anatomica cadaverum hoc morbo extinctorum conſtat, nihil impedimenti aut remoræ in quibuſvis urinæ viis extitiſſe, mali fomitem non im-

pro-

probabilitater in ſanguine ipſo, latitaſſe cenſemus; quatenus primo propter intimiorem partium heterogenearum miſtionem, maſſa ejus ſtricta nimis eſt, quam ut aquoſitas ab ea ſeparari poſſit: hoc vel ab acido prædominante, vel particulis viſcidioribus, vel utriſque ſimul p. m. abundantibus fieri poſſe, forte nullus dubitet, conſiderans quantum dictis particulis ineſt efficaciæ, ſanguinem coagulandi, aut particulas ejus heterogeneas ſibi arctius commiſcendi, ut non ita facile ſecedant, concurrente etiam debili ſanguinis fermentatione, conſequenter rarefactione.

2. Præ ſui abundantia, arterias emulgentes nimium diſtendit: ut propelli ulterius non poſſit aut ſeroſitas ab eodem abire; cujus caſus exemplum notabile proponit *obſervatio* 1 *Cent*. 1. *Cl. Riverii*, cujus aitiologiæ non eſt, quod aſſenſum negemus, quod author ille ſanguinem per venas emulgentes deferri ad renes dixerit, modo attendamus ei circulationis ignaro, non nuſitatum fuiſſe venarum atque arteriarum officia confundere, ut in ipſius praxi paſſim videre eſt Vide lib. 2. cap. 4. §. 6. & alibi. In arteriis emulgentibus, (quamvis rarius) obſtructione aliqua, diſtenſione ſui vel compreſſione, laborantibus. in renibus autem, niſi forte, in totum à gravi partium proximarum tumore vel diſtenſione præmantur, vel ulcere conſumantur, carunculas & pelves præcipue culpamus à calculis, materia ſabuloſa, glutinoſa, aut alia quavis infarctas: ubi notamus, Iſchuriam à renum Vitio, (niſi calculis utriuſque ureteris continuitatem cum pelvi occupans exacte clauſerit) non adeo Frequentem eſſe, conſiderato utriuſque renis tubulos & carunculas tam numeroſa eſſe, quæ ſimul & ſemel obſerari fortuitum valde foret: nam conſenſus renum, quem ſibi ullus imaginari vellet, rationis patrocinio deſtitutus, ipſâ experientia falſi arguitur.

Ureteres in cauſa eſſe poſſunt, dum cavitas eorum tollitur, ubi pelvi continuantur, vel circa peranguſtas ſui & obliquas in Veſicam inſertiones, à calculis, vel alia quadam materia craſſa & viſcoſa, obſtructi, vel à tumore veſicæ circa ſui cum eadem commiſſuram compreſſi, vel ſecundum ſui longitudinem, à partium circumjacentium diſtenſione aut intumeſcentia compreſſi, uteri puta gravidarum, vel inteſtinorum à flatibus, ut fætum copiâ.

XII. Ve-

XII.

Veſica, quatenus fibræ propter intemperiem aliquam vel protractam urinæ retentionem contractioni ſuæ, conſequenter urinæ expulſioni, fiant ineptæ, vel ſi collum ejus, prævia litothomia, aut alio quovis vulnere, aut morbo coaluerit; Vel obſeſſum à calculo, materia glutinoſa, pure, grumis ſanguinis, vel, quod obſervatum eſt, à carne ex fundo veſicæ in urethram excreſcente, eamque obturante, vel compreſſum à parte aliqua Vicina, V. C. utero, vel inteſtino recto fæcibus infarcto, vel inflammato; Vel meatus urinarius urethra dictus obſtruatur à calculo, vel comprimatur à tumore penis, vel conſtipetur aut coaleſcat à caruncula intus nata poſt exulcerationem, vulnus, ſimileſve morbos ex Gonorrhæa, coituve immodico contractos.

Tandem morbos, cerebri, nervorum ac ſpirituum inſimulamus, in quantum ſpiritus, ad Veſicæ contractionem requiſiti; non generantur, vel generati, nervorum vitio, non adſunt, ut in affectibus ſoporoſis, paralyſi &c. nonnunquam obſervatur.

XIII.

Hiſce cauſis antecedentibus, utcunque ſaltem præcipuis, occaſionem præbent aliæ remotiores, procatarcticæ dictæ, baſin habentes in rerum ſex non naturalium, (aëris cibi, ac potus, ſomni & vigiliarum, motus & quietis, excretorum & tetentorum, animi denique pathematum) uſu cujus exceſſus vel mediocritas, quantum ſanitati conſervandæ aut deperdendæ conferat, ut & huic de quo ſermo eſt, affectui producendo, pluribus hic demonſtrare, brevitati ſtudens ſuperſedeo.

XIV.

Cum vero praxin facienti non ſufficiat cauſas ſcire, ſed ad ſigna, quibus ſe manifeſtant, attendendum eſt, ut iiſdem perſpectis tanto ſecurius curationem auſpicetur, diagnoſin paucis lubet annectere.

Si igitur Veſicæ Vitio contingat urinam detineri, ſigna tenſionis &c. theſi 2. dicta aderunt; Sin à calculo, colli orificium obturante, ejuſdem ſigna apparebunt, quorum præcipuum, dolor eſt ejuſdem partis, poſt redditam ante urinam, exaſperatus ſolitus, item catheter, per urethram intruſus: ſin coaluerit, poſt ſectionem calculi, ex prægreſſis ſuſpicari licet; Ubi à materia viſcida, pure, grumo ſanguinis obſtructum, excreta antecedentia, aut progreſſi morbi, Hæmorrhagia ſc., inflammatio, ulceratio, hoc optime docebunt. Si caruncula vel calculus urethram obſidens, illa ex prægreſſis cognoſcendo, vel candela cereâ aut cathetere explorando detegantur, cum alterutrum eorum intruſum obſtaculum offendet, ſi mollius caruncula, ſin duriuſculum, calculus eſſe judicetur, ſin tumore penis compreſſa ſit, ejuſdem inſpectio vel per digitum palpatio certiorem reddet medicum; ſi vero nihil horum adſit, Veſica tamen diſtenta & urinis gravata appareat, ipſum fibrarum Vitio prædicta retentio imputanda, enim, ubi circumſpiciat medicus ad prægreſſa, an ægrotans urinam diu nimis retinuerit vel morbo aliquo, laboravit, ac denuo laboret, à quo Fibrarum hæc inhabilitas deduci poſſit.

Si partes Vicinæ huc contulerint ſuum ſymbolum, ex earum morbis, aut p. naturali diſpoſitione conjicere dabitur.

Quod ſi vacuâ veſicâ, urina non excernatur, renes & ureteres incuſandi veniunt; & quidem ſi calculus hic tragœdiam exercet, ille ſuis ſymtomatis manifeſtabitur.

Si renum carunculæ à materia ſupra dicta oppilentur, non ita facile hæc cauſa cognoſcitur, niſi forte ex dolore aliquo non valde gravi.

An ſanguis, huic malo anſam præbuerit, inveſtigari poteſt, ſi nihil veſicæ, renum, atque ureterum cavitatibus deeſſe conſtet, tunc reſpiciatur ad ipſum ſanguinem, an copia, intemperie acida, vel viſcoſa &c. peccet. Hoc prægreſſa, diæta, corporis habitus, pulſus, ſimiliaque docebunt.

X V.

Prognoſeos loco, Iſchuriam aleæ periculoſæ plenam eſſe, dicimus, ut, ni tempeſtive molimini cedant medico, cauſæ eam pro-

du-

ducentes, fato ſupprimatur eadem afflictus, vel in graviores incidat morbos ipſum denique extincturos: Iſchuriæ cœcitatem ſuperveniſſe, Senatoris Dordrechtani filiolo, notat *Beverovicius*. Periculi tamen metuſque varietas à cauſſis, earumque pertinacia, ſymtomatis plus minus concurrentibus dependet. Iſchuria nonum vel undecimum diem excedens Lethifera cenſetur, quamvis poſt 18, integræ convalentium non deſint exempla, ſpem quoque evacuationes §. 2. dictæ, ſimileſve ſæpe ſæpius afferunt.

X V I.

Tandem ad curationem devolvimur, ſequentes juxta indicationes inchoandam.

1. Ut, cauſæ antecedentes tollantur, à quibus ſublatis dependet Urinæ ſecretio vel excretio.
2. Removeantur procatarcticæ, & in contrarium mutentur.
3. Symtomatum.
4. Virium habeatur ratio.

X V I I.

Cum vero cauſſæ antecedentes variæ ſunt, non uno nomine venit ipſarum ſublatio: Si igitur conſideratis conſiderandis, ſanguis peccans occurrat, 1. copiâ ſui, V. S. celebretur, qua ſola curatam fuiſſe Iſchuriam, multiplex teſtatur experientia. 2. intemperie viſcidiore, quâ ſeroſitates reliquarum partium amplexibus, vi debilioris fermentationis extricari nequeunt, compagis ejuſdem ſolutio, ac ſeri fuſio tentanda eſt, medicamentis valde incidentibus, ſanguinem diluentibus, majoremque ei fermentationem inferentibus: talia ſunt quæ ſale volatili, ſpiritu, oleo, atque acido volatiliore turgent, quæ pharmacia Galeno-chymica ſuppeditat abunde ex radicibus, herbis, baccis, ſeminibus, fructubus, item mineralibus, ſalibus, animantium partibus vel excrementis, ex quibus, decocta, mixturæ, pulveres, Tincturæ, ſpiritus, aquæ ſpirituoſæ, ſucci, olea, &c. præparari poterint.

Quo-

Quorum præmiſſo uſui, ſi res poſtulat, Cathartica jungantur, ſeroſitates ab alvo expulſura, (ſi per diureſin non procedat evacuatio, quod carunculas renum quoque obſtructas eſſe argueret).

Si ſtricta nimis ab acido compages, præter laudata jam diuretica, (acidis exceptis) commendantur, quæ ſalis alcalici valde acris multum habent, horum præcipua ſunt ſales alcalici herbarum, ex tartaro, oculi cancri, ovorum & concharum teſtæ; inſecta, ut vermes majales, millepedes, ſcarabæi, cantharides, Quorum tinctura, vel ſubſtantia, caute tamen, & parca doſi exhibeatur. Sequens habet *Capivaccius*.

℞. cantharidem unam.
pulv. veſicæ muſtelæ.
cancrorum fluviatilium & marinor. ana ℈j.

Fiant cum Syr. Cap. Ven. pilulæ, quibus ſuperbibatur Hauſtus ex decocto cicerum rubr: & ſucc. raphan. plures formulas deſiderans practicorum libros conſulat, ſudorifera quoque & purgantia locum habere poſſunt.

Ubi renum carunculæ ſint obſtructæ, à materia viſcoſa, talis quidem intemperies in ſanguine emendanda aut alteranda, tanquam cauſa remotior, proxime tamen hæ obſtructiones tollendæ, medicamentis jam ante laudatis, quæ cum ſanguine huc allata hærentem ibi materiam incidunt & attenuant, poroſque carunculorum reſerant.

Si renum vel ureterum calculus, lotii excretionem moratur, ejuſdem expulſio promovenda, diureticis & lenientibus ac vias lubricantibus; interne quidem decoctis, (inter quæ Laudatur illud *Foreſti*) mixturis, quibus admiſceri poſſunt ol. amygd. vel olivarum recens, quod cum vino rhenano & Sacch. tanto frequentioris uſus eſt, externe cataplaſmatis, fomentis, linimentis, balneis item clyſteribus & ſ. p.

Si autem veſicæ calculus, urinæ tranſitum denegat, ad meatus urinarii provolutus oſtium, cathetere immiſſo, vel ægrum ſupine, cruribus elevatis locando corpuſque nonnihil concutien-

tiendo ejus repulſio tentanda, ſin pituita grumi ſanguinis &c. diuretico valido, aut hoc aut ſimili

℞. aq. petroſelini cochleariæ.
ſpirit. centaurii min. ana ℥ij.
aq. antinephrit. amſt. aut ſimilis cujuſdam diuretic. ℥j.
ocul. cancri, tart. vitriol. ana ℈j.
ol. Juniperi gutt. vj.
ſyr. quinq. rad. vel raphani ℥j. M.

Serum copioſius ad veſicam rapiendum, quo materia hæc elui poſſit, idem injectione per urethram tentatum, nonnunquam profuit, admotis interim pubis regioni, fotu, cataplaſmate, & ſ. ex herbis, ſeminibus, floribus, emollientibus, attenuantibus incidentibus, additis oleis, pinguedine & ſimilibus, ſternutatio quoque ac ſpiritus frequenter cohibitus uſui eſſe queunt, ut inflatis ac contractis ventris muſculis, major veſicæ fiat compreſſio: vel intruſo in urethram cathetere, via urinæ paretur, hoc aliquoties in ſimili caſu ſucceſſiſſe, author eſt & teſtis Cl. *Promotor* & quoad vivam Honorandus Præceptor.

Si fibræ veſicæ, diuturnâ Lotii retentione, vel intemperie contractioni inſervire renuunt, modica frictio & hypogaſtrii compreſſio, vel fotus & ſacculi conveniunt, quibus non cedente malo, ad catheterem confugiatur.

Sin calculus, vel caruncula urethræ inſederit, prior digitis molliter impellendo, & ad extremum virgæ deducendo, vel urethram penis in os inditi exſugendo, vel decoctum emolliens in urethram injiciendo, eliciendus erit, vel ſectione penis (quam in parte ſuperiori, vel laterali faciendam, monent aliqui, quod inferius facta, vulnus in fiſtulam plerumque deſinat) eximendus: poſterior medicamentis candelæ cereæ circumlitis, conſumenda; prudenter tamen, ne medicamenta hæc nimis acria, non tantum in proximarum partium, ſed ipſius vitæ detrimentum cedant, cujus exemplum habet *Obſerv.* 16. *Henrici à Moinichen*, cultro Anatomico *Lyſeri* annex. plenariam porro curationem poſtulanti ſatisfacient *Aquapendens*, *Vigierus*, aliique Authores Chirurgici, non ego, qui

Velis traho, & tertio feſtino advertere proram.
Partium vicinarum morbi pro ſui ratione curentur, de morbis cerebri nervorum, ac ſpirituum, idem ſit dictum.

XVIII.

Symptomata, cum morbos velati umbra corpus ordinario ſequuntur, eorum ſublatio ab horum profligatione plerumque dependet, interim ne vi & numero moleſta nimis ſint, ſi præcaveri aut tolli in totum non poſſint, ſui mitigationem poſtulant, primaria hic ſunt dolores, febris, vigiliæ, ſopor &c. quibus, anodynis, febrifugis, ac ſomnum fallentibus, pro neceſſitate rei vel ſtatu patientis occurrendum. Vires medicamentis fermentationes diminutas, reſtaurantibus, vel integras adhuc conſervantibus, fovendæ, diæta cauſis contrarietur.

Et hæc pro lemmatis inauguralis materiâ ſufficere videbantur, faxit DEUS T. O. M. ut, quod exiguiſſimum in re medica profeciſſe videor hactenus, in augmentum creſcat, quo humanæ valetudini, (cum Divina ejus providentia ſic voluerit) fideliter ac feliciter mederi, aptior indies evadam, ad ſanctiſſimi nominis ipſius gloriam proximique ac mei ſalutem.

CO-

COROLLARIA.

I.

V. Sectionis uſus, uti ſummæ neceſsitatis in medicina, ſic arteriotomiæ, nullum locum concedo.

II.

Solùm V. S. fructum Vaſorum collapſionem eſſe, nego.

III.

Peſtis eſſe poteſt, abſque febre.

IV.

Cauſa inflammationis eſt ſanguis, præ ſui ſtagnatione vel extravaſatione, corrumpi incipiens.

V.

Motum muſculàrem ab exploſione particularum diverſæ indolis fieri, non puto.

VI.

A Juvantibus & nocentibus (eſt axioma practicum) potiſsima petitur indicatio, ſed ex iis in morborum thoria præcipuam ſigni-

gnificationem & præ[illegible]
deſumere velle, erroneum judico.

VII.

Quamvis Tuſsis dicatur convulſio muſculorum abdominis, non impedit tamen, quominus ejus cauſa in pulmonibus, aut arteria aſpera quæri poſſet.

VIII.

Falluntur valde, qui diaphoreſin faciliorem ac tutiorem catharſi putantes, purgantium uſui omnino contradicunt; cum ſæpe ſæpius tutior fit per alvum, quam ſudores evacuatio, præter quod putandum non eſt Catharſin magis quam diaphoreſin vires belilitare.

F I N I S.